

## DE CONSERVANDA

rens in bonitate & malitia, respectu illius ad quod fieri debet permutatio.

Sciendum autem hoc loco debiles & senes facilius ferre consuetos labores, quàm fortes atq; iuuenes inconsuetos, id quod his uerbis confirmat Hippoc. lib. 2. Aphor. 49. Qui consueti solidos labores ferre, & si fuerint imbecilles & senes, non consuetis, fortibus atq; iuuenibus facilius ferunt. Quod uerò dicit inquit Philotheus, tale est. Sunt autem quidam, hic quidem senex, hic autem in uigore ætatis, uterq; incipit fodere terram, & seni quidem fodere bene cedit, illi autem qui in ætatis uigore est, minimè, illi quidem ob consuetudinem, et si imbecillis, huic autem ob inconsuetudinem, et si robustus sit.

Notionem enim uniuersalem esse oportet, quòd exercitatie partes alijs fiunt robustiores, & propter hoc facile subeunt consuetos labores. Secundum est, malam pestem, id est, maximum incommodum sequi permutationem consuetæ diætæ, ut testatur Hippoc. lib. 2. de uictus rat. in morbis acu. nisi fuerit necesse eam permutari, quando est illaudabilis, ita ut inde sequantur pessimæ ægri-tudines, qualis est prandium siue cœnam prauis cibis terminare. Huiusmodi enim consuetudinem necessarium est corrigi & permutari, non quidem subito, sed paulatim & ordinate. Nam omnis subita mutatio uehementer nocet, maximè si à consueto ad inconsuetum fiat permutatio.

Subita  
mutatio  
nocet.

Demde etiam necesse est eam permutari, ne si forte ad